



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


**Philippi Servii E Societate Iesv Amicus Fidelis Vsque Ad
Mortem: Sive Modvs Ivvandi Moribvndos, Ægris, Sanisqve
Perinde Vtilis**

Servius, Philippe

Leodii, 1648

Paragraphvs Primvs. Pro recuperanda sanitæte recitari poterunt
sequentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60032)



AMICI FIDELIS

VSQVE AD MORTEM

PARS SECUNDA,

SIVE

ORATIONES ET PRECES

Pro ægris & moribundis
vsurpandæ.

PARAGRAPHVS

PRIMVS.

*Pro recuperanda sanitate recitari
poterunt sequentia.*

Vers. **A** Diutorium nostrum in no-
mine Domini.

Resp. Qui fecit cælum & terram.

Domine exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Dominus vobiscum.

Et cum spiritu tuo.

ORE-

Virtutum cælestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem & omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis, adesto propitius famulo tuo, (*famula tua*) vt fugatis infirmitatibus, & viribus receptis, nomen sanctum tuum, instaurata protinus sanitate benedicat. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat.

Iesus Mariæ filius, mundi salus & Dominus, meritis & intercessione Virginis Matris suæ, Apostolorum Petri & Pauli & omnium Sanctorum sit tibi clemens & propitius. Amen.

Vers. Sana me Domine, & sanabor.

Resp. Saluum me fac, & saluus ero.
Dominus vobiscum.

Et cum spiritu tuo.

Sequentia Sancti Euangelij secundum
Marcum.

Gloria tibi Domine.

In illo tempore, recumbentibus vñ
decim Discipulis, apparuit illis Ie-
sus,

sus, & exprobrauit incredulitatem
 eorum & duritiam cordis; quia his
 qui viderant eum resurrexisse, non
 crediderunt. Et dixit eis: Euntes in
 mundum vniuersum prædicate Euan-
 gelium omni creaturæ. Qui credide-
 rit & baptizatus fuerit, saluus erit:
 qui verò non crediderit, condemna-
 bitur. Signa autem eos qui credide-
 rint hæc sequentur: In nomine meo
 dæmonia eijcient: linguis loquentur
 nouis: Serpentes tollent: & si morti-
 ferum quid biberint, non eis nocebit:
 super ægros manus imponent, & bene
 habebunt.

Kyrie eleyson. Christe eleyson.

Kyrie eleyson.

Pater noster, &c.

Et ne nos inducas, &c.

Saluum fac seruum tuum Domine,
 Deus meus sperantem in te.

Mitte ei Domine auxiliũ de sancto,
 Et de Sion tuere eum.

Nihil proficiat inimicus in eo,
 Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

L

Esto

Esto ei Domine turris fortitudinis,
A facie inimici.

Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

Dominus vobiscum,
Et cum spiritu tuo.

OREMVS.

Domine Sancte, Pater omnipotens,
æterne Deus, qui benedictionis
tuæ gratiam ægris infundendo corpo-
ribus, facturam tuam multiplici pie-
tate custodis; ad inuocationem nomi-
nis tui benignus assiste, vt famulum
tuum (*famulam tuam*) ab ægritudine
liberatum (*liberatam*) & sanitati dona-
tum (*donatam*) dextera tua erigas, vir-
tute confirmes, potestate tuearis, at-
que Ecclesiæ tuæ Sanctæ cum omni
desiderata prosperitate restituas. Per
Dominum nostrum, &c.

§. SE-